



R. P. D.

GHSILERIO

Valentina Iurisdedendi.

Veneris 15. Decembris 1634.



CM fel. rec. Sixtus V. in bulla erectionis Præpositurâ-
rum in Ecclesia Valentina cōcedat nouis Præpositis ha-
bitum, & insignia per olim Præpositos mensium deferri
solita, ad instar illorum stallum in Choro, necnon locum
in processionibus, cæterisque actibus publicis, & priuatis
omnibus, & quibuscûquè (non tamèn capitularibus) dictæ
Ecclesiæ Valentinae, immediate post illius Canonicos

iuxta ordinè ad ideis præscribendum, & priuilegia, indulta, honores, præ-
minentias, & immunitates, quibus Præpositi mensium huiusmodi, qui pro
tempore fuerunt ratione Præpositurarum suppressarum frui, & potiri po-
terant, frui, & potiri pariformiter, & absq. vlla prorsus differentia possint:
Datis articulis per Capitulum ad probandum modum sedèdi obseruatum
à Præpositis, & Canonicis, qui extiterunt, tam antè, quàm post bullam Six-
ti V. & Canonicos habuisse semper proprias sedes nunquàm à Præpositis
occupatas, petebatur remissoria: sed cum in decisionibus R. P. D. mei
Merlini 16. Decembris 1633. & 12. Junij 1634. in hac causa in prima instan-
tia factis, optimè firmatur, quod tam vigore constitutionum Ecclesiæ,
quàm dictæ bullæ erectionis Præpositurarum, Præpositi debeant sedere
immediatè post Canonicos, ita ut dictio, *post*, non debeat referri ad sedes,
sed ad ipsos Canonicos: Domini, examinatis articulis, tam ex capite
irreleuantia, quàm calumniae, denegarunt remissoriam.

Irreleuantia deducitur ex eo, quòd in literis Sixti adsunt verba clara impor-
tantia sessionem immediatam Præpositorum, non post sedes vacuas Ca-
nonicorum, sed post Canonicos absque interuallo sedis vacuæ, cum dire-
cta sint in personas Canonicorum, cum dictionibus, *immediate*, & *post*, quæ
continuationè important, vt vnum, & idem sit corpus continuatiuè, atque
huic

huic intellectui conformis est constitutio Capitularis, quæ postquam Dignitatibus assignavit certas sedes distinctas, Canonicis, & Præpositis continuam sessionem assignat: signum evidens ex hoc discreto, & separato modo loquendi, non fuisse mentem constituentium, ut Canonici, & deinde Præpositi in sedibus separatis sederent, sed potius continuatiuè tamquam vnum corpus; ut bene fuit firmatum in supradicta prima decisione Domini mei Merlini. Et licet hæc constitutio loquatur de antiquis Præpositis, tamen cum moderni sint subrogati in omnibus, & per omnia, exceptis actibus capitularibus, vigore bullæ Sixti V. in eadem dispositione comprehenduntur, quia verba illa: *ad instar antiquorum Præpositorum*, stant causatiue, non autem relatiue, aut conditionaliter. *Castr. in l. admonendi, nu. 16. Et Ias. nu. 37. ibi de iur. iurand. Curt. Jun. cons. 97. n. 3. & 4. Bart. in extrauag. ad reprimen. in verb. prout, & ad hoc facit text. in c. Ab. S. Syluani, de verbor. signif.*

Quibus sic stantibus, non solum cessat releuantia obseruantie interpretatiuæ, quæ solummodò locum habet, vbi verba sunt dubia. *Paul. de Castr. in l. heredes palam. §. si quid post. nu. 1. ff. de testam. & cons. 340. n. 1. lib. 1. Becc. cons. 3. nu. 44. & seqq.* quia immediata lesio Præpositorum, absque intermissione sedis vacuæ post Canonicos, non desumitur ex interpretatione literarum erectionis, sed ex claro earundem tenore: siquidem verba illa, *immediatè post Canonicos*, directa sunt, nulla desumpta interpretatione ex proximis, vel remotis, ad personas ipsorum Canonicorum, non autem ad sedes; quia literæ erectionis non dicunt post sedes Canonicorum, sed post Canonicos; & ita cum loquantur, & earum verba sint directa in personas, literæ erectionis sunt intelligendæ, quod Sixtus V. voluerit Præpositos habere loca post Canonicos, & eorum personas, non autem post sedes, aliàs eius verba direxisset in loca; & sedes, non autem in personas. *Bart. in l. peto. §. fratre. nu. 2. vers. Dic ergo, ff. de legat. 2. cum aliis adductis.* Quapropter non est locus obseruantie interpretatiuæ in contrarium. *Iuxta tradita per Bart. in l. neque, n. 2. & in l. Diuturna, in princip. ff. de legib. Nauarr. cons. 308. n. 1. Rot. in recent. decis. 136. nu. 9. & 196. nu. 9. vers. Vnde non potest, part. 1. & in Burgen. præminentiarum 1. Decembris 1614. coram Reuerendiss. D. meo Decano.* Obseruantia enim interpretatiua diceretur illa, per quam contenta in dictis literis effectuantur; non verò illa, per quam aliud diuersum, aut contrarium induceretur, *ad not. per Aretin. cons. 115. nu. 2. Rot. in recent. d. decis. 136. nu. 10. & decis. 196. num. 6. & 7. vers. Obseruantia enim, par. 1.* Sed etiam propter decretum irritans, & clausula, sublata, inficitur quæuis possessio in contrarium. *Cas ad. decis. 1. de caus. posse. & prop. Rota in nouis. decis. 3. de rest. spoliat. nu. 1. & coram Reuerendiss. D. meo Decano, decis. 51. nu. 2. & in recent. decis. 142. nu. 4. par. 2. & in hac causa in dict. secunda decis. D. me. Merlin.* Et non admittitur facultas interpretandi constitutionem secus quàm in verbis expresse habeatur. *Card. in Clement. quia diligentia, vers. Tertio quæro, de election. Ruin. cons. 21. nu. 16. lib. 1. Anchar. cons. 221. nu. 2. Marefcot. variar. resolut. lib. 2. cap. 37. in princip.* Et ideò non est danda remissoria ad probandam interpretationem contrariam ab ea, quæ dictæ constitutioni data fuit per Dominos meos in supradictis duabus decisionibus, *ut in puncto fuit resolutum in Meliten. Baiuliuatus, 27. Nouëbris 1617. coram D. meo Dunogetto, & in recent. decis. 212. nu. 1. part. 1.*

Irreleuantia primi articuli continentis, quod Præpositi antiqui sedebant in stallis separatis, & quod duodecim sedes ab vtraque parte Chori fuerunt reputatæ propriæ Canonicorum, deducitur. Primò, ex constitutionibus

bus Capitularibus, in quibus Præpositis antiquis conceditur sessio immediatè post Canonicos. Secundo, ex verbis literarum Sixti V. in quibus Præpositis modernis est data sessio immediatè post Canonicos.

Secundus articulus, circa obseruationem constitutionum Capitularium quoad sedes, & non quoad Canonicos, & quod Præpositi federunt post duodecimam sedem, est irreleuans: quia attentis verbis claris constitutionum obseruantia non attenditur, vbi verba constitutionis sunt clara, ex supra deductis; & magis est standum verbis constitutionum, quam testibus, & dum agitur de interpretatione constitutionis Pontificiæ, in Curia, non alibi, est interpretanda, & eadem responsione probatur irrelevantia tertii, & quarti articuli; maximè, quia in literis erectionis extant clauisula, sublata, & decretum irritans, de quibus fuit dictum supra, Quintus, & vltimus tanquam cõtrarius constitutionibus Capitularibus, & literis erectionis Sixti V. non solum est irreleuans, sed calumniosus ex infra dicendis.

Suspicio verò calumniæ ad remissoriam denegandam deducitur ex eo, quod immemorabilis articulata in quinto articulo, videtur potius imaginata, vt fiant articuli releuantes, quam quòd verè ita res se habeat, vt fuit resolutum in causa Hispanen. de Eceza 16. Nouembri 1579. coram san. me. Clemente VIII. S. me. Gregorio XV. decis. 21. nu. 5. Quòd si autem immemorabilis fuerit articulata, vt articuli appareant releuantes, satis apparet; quia ad nullum alium effectum articulatur dicta immemorabilis, nisi ad euadenda fundamenta dictarum decisionum R. P. D. mei Merlino, in quibus latissime fuit firmatum, literas erectionis Sixti V. Præposituratum, de quibus agitur, esse claras, & expresse disponere, quod Præpositi immediate sedeant post Canonicos, vt latè in dictis decisionibus firmatur, & propterea dicta immemorabilis videtur imaginata, quo casu Rota sæpè denegauit remissoriam, vt in decisionibus allegatis in Craconiens. iurislegendi, 3. Decembri 1629. coram me, & in Casaruugustana Cathedralitatu 21. Iunii 1632. coram R. P. D. meo Motmano, quæ calumnia tanto magis vrget, ex quo Capitulum curauit examinare testes super hac eadè materia articulata, quos nihil probare resoluit Rota in præallegata secunda decisione 12. Iunii præteriti coram R. P. D. meo Merlino; in qua etiam fuit firmatum, quod quatenus ex testium depositione probaretur prætensa obseruantia, non fuisset attendendum eorum dictum, quia stante dispositione clara literarum Sixti V. non est opus alia obseruantia interpretatiua.

Et cum aduersus dictas constitutiones obseruantia nequeat aliàs suffragari nisi præscripta spatio 40. annorum, ex not. per Bart. in l. habeo. ff. de supell. leg. Socin. seni. conf. 211. nu. 19. lib. 2. Put. decis. 15. nu. 4. lib. 3. nec testes super ea legitimè deponentes possint inueniri, est improbabilis, & talis improbabilitas obstat concessioni remissoriæ, vt censuit Rot. apud Cardin. Seraph. decis. 1460. num. 2. in Caputaquens. Antonis 20. Marti 1594. coram Pena; in Burgen. iurisdictionis, 3. Iunii 1595. coram Litta, & in Florentina subdecanatus, 30. Aprilis, coram Reuerendiss. D. Vrgelen. Et quòd sit improbabilis, tam respectu constitutionis, & literarum erectionis, quam respectu testium, satis probatur: nam respectu constitutionum Capitularium, quæ fuerunt editæ de anno 1576. obseruantia contraria detegitur improbabilis, quia respectu editionis dictarum constitutionum de anno 1576. vsque ad datam literarum erectionis de anno 1585. intercesserunt tantum 9. anni, vt patet ex data constitutionum Capitularium, & literarum erectionis, quòd tempus non sufficit

ad

ad inducendam aliquam obseruantiam præscriptam, quæ requiritur, cum verba constitutionum sint clara, & in isto casu prætendatur correctio, non autem interpretatio. *Castr. conf. 340. volu. 1. Becc. conf. 3. nu. 44. Surd. conf. 426. num. 45.* sed tempus 40. annorum requiritur ex supra deductis. Est pariter improbabilis respectu literarum erectionis, ex quo à tempore datæ literarum erectionis de anno 1585. vsque ad tempus motæ litis, de anno 1597. non intercessit nisi spatium 12. annorum. Est etiam improbabilis respectu testium, quia sublato tempore litis annorum 37. & tempore quo sunt editæ constitutiones Capitulares, & literæ erectionis emanatæ, testes deberent esse ætatis annorum 100. & ultra, qui non reperiuntur, sed dicta obseruantia fuit sublata ex literis erectionis, in quibus Præpositis fuit concessa sessio immediatè post Canonicos.

Quoad quintum articulum, in quo informantes pro parte Capituli vim faciunt, cum in eo prætendat probare quod ab immemorabili tempore fuit semper obseruatum, vt Canonici, seu ordo canonicalis habeat in Choro certas, & distinctas sedes sibi soli destinatas, & separatas à Dignitatibus, & nulli alteri vnquam communicatas, siue sit Præpositus, sibi Præbendatus eiusdem Ecclesiæ, & quod si quando aliqui ausi sint eas occupare, fuerint à Canonicis repulsi, atque prohibiti, & huiusmodi prohibitioni acquieuerint, nec hunc articulum esse admittendum Domini censuerunt; quia cum iam Rota firmauerit solas Dignitates habere proprias sedes distinctas, non autem Canonicos, sed ipsos, & Præpositis destinatas fuisse successiuam, & continuam sessionem, non autem discretam, & separatam, vt in prima dicta decisione D. m. Merlini fuit ponderatum, iste articulus tanquam contrarius constitutionibus, & literis erectionis, redditur irrelleuans, & cum constet de assignatione stali facta per constitutiones Capitulares, & quidem in terminis casus, de quo agitur contra distinguendo sedes fixas Dignitatum ab aliis sedibus non fixis, nullo pacto venit concedenda remissoria ad probandum per testes, id cuius contrarium apparet ex constitutionibus. *Bald. in c. cum causa, n. 3. de probationib. Aim. conf. 54. nu. 1. Aegid. decis. 9. Pur. decis. 331. & 339. lib. 2. Seraph. decis. 1460. num. 3.* Vnde iste quintus articulus præsumitur calumniosus tanquam factus ad euadendum fundamentum factum in dicta decisione D. m. Merlini. Et dato etiam quod aliquis ex Præpositis sedisset post sedes canonicas, non autem immediatè post Canonicos, non tamen potuisset aliis peruenientibus præiudicare, cum priuilegium non sit concessum particularibus, sed ipsis Præpositis, & toti cæui Præpositorum: Vnde hodie contra quancumque obseruatiam possunt vtrorumque priuilegio erectionis, super quo non dubitatur, ex pluribus cumulatis in dicta secunda decisione.

Quocirca cum ponderatis omnibus articulis manifeste appareat de eorum irrelevantia, quia si probaretur quod articulatur non veniret attendendum ex supradictis, & non careant suspitione calumniæ, ex quo solum tendunt ad euadenda fundamenta dictarum decisionum R. P. D. m. Merlini, Domini denegarunt remissoriam.

Et ita fuit decisum vtraque parte informante, &c.

Imprimatur.

Potest imprimi.

Doct. Dolz V. sc. gñlio.

Ortiz Regij Fiscij Aduoc.